

13

La guerra con la Macedonia

Pacem Punicam bellum Macedonicum excepit, periculo haudquaquam comparandum aut virtute ducis aut militum robore, claritate regum antiquorum vetustaque fama gentis et magnitudine imperii, quo multa quondam Europae, maiorem partem Asiae obtinuerant armis, prope nobilibus. Ceterum coeptum bellum adversus Philippum decem ferme ante annis triennio prius depositum erat, cum Aetoli et belli et pacis fuissent causa. Vacuos deinde pace Punica iam Romanos et infensos Philippo cum ob infidam adversus Aetolos aliosque regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Hannibali Poenisque preces Atheniensium, quos agro pervasato in urbem compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum. Sub idem fere tempus et ab Attalo rege et Rhodis legati venerunt nuntiantes Asiae quoque civitates sollicitari. His legationibus respondit sum est curae eam rem senatus fore; consultatio de Macedonico bello integra ad consules, qui tunc in provinciis erant, reiecta est.

(Livio, *Ab Urbe condita libri*)

14

La guerra di Creta

Creticum bellum, si vera volumus, nos fecimus sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur: hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo ut puris catenas in navibus quam arma portaret. Dedit itaque poenas vecordiae. Nam plerasque naves intercepte hostes, captivaeque corpora religantes velis ac funibus suspendere, ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus intra castella et urbes redegit. Cnoson, Eleuthernas et, ut Graeci dicere solent, urbium matrem, Cydoniam; adeoque saepe in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent, alii deditonem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et cum ille res in Asia gerens, eo quoque praefectum misisset Antonium, in aliena provincia irritus fuit, eoque infestior Metellus in hostes ius victoris exercuit, victisque Lasthene et Panare, Cydoniae ducibus, victor rediit. Nec quidquam tamen amplius de tam famosa victoria quam cognomen Creticum reportavit.

(Floro, *Epitomae*)